COMMENTATIONIS

MEDICO - CHIRVRGICAE

DE

GIBBOSITATE

PARS I.

QVAM

EX ILLVSTRIS FACVLTATIS MEDICAE

GOETTINGENSIS DECRETO

PRO GRADV DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

AD DIEM XXX DECEMBRIS ANNI MDCCLXXXIV

PVBLICO EXAMINI SVBMITTIT

IOANNES SIGISMVNDVS DONNER

SEMPRONIO - HVNGARVS.

GOTTINGAE,

LITTERIS IOAN. CHRIST. DIETERICH.

ACAD. TYPOGR.

Medici practici eſt, ad cauſſas primas continuo regredi, examen aegrorum attentum et aliquoties repetitum ſuſcipere, denudata corpora ad normam ſani hominis, ope cognitionis anatomicae, exigere, motus membrorum ad varias directiones examinare, muſculos diſpoſitione hac morboſa in actione ſua impeditos vel infirmatos attendere, quo tandem comparatae huic cognitioni remedia accommodet.

LVDWIG Aduerſ. Vol. II. Part. II. pag. 582.

PROOEMIVM.

Cum primum ad elaborandam hanc de Gibboſitate commentationem me accinxi, tum quidem nihil ſane aliud venit in mentem, quam totam vno miſſu exhibere: ſed mutandum eſſe hoc conſilium breui docuit neceſſitas. In tantam enim molem ſub manibus creuit materies, vt iuſto ſuffecturam volumini viderem. Hinc, licet multis, quae pertinerent ad rem illuſtrandam, reciſis, tantum tamen reſtitit, vt ſimul editum diſſertationis modum eſſet exceſſurum. Quare amicis obtemperans ſummorum virorum conſiliis, in tres partes materiem omnem diſpeſcui, quarum *prima eſt theoretica*, quae in praeſenti virorum doctorum ſubit examen. Hanc deinceps, ſimul otium mihi vitae meae rationes praebuerint, ſtatim ſequetur *altera*, adhibitas hucusque in gibberibus curandis quotquot innotuerunt machinas exhibens, deſcriptione pariter et

A 2 iconi-

commentationi ſuae de oſſium ſingulorum affectibus *a)* breuem quidem, ſed tamen pro iis temporibus accuratam ſatis et eleganti ſermone conſcriptam praemittit oſſium deſcriptionem; Cous vero ſenex *b)* Theſſalo filio ad morbos oſſium accurate dignoſcendos anatomicam eorundem cognititionem impenſe commendat. Idem e recentioribus PLATNERO placuit, ſolidae eruditionis exemplo, vt ex eiusdem de *thoracibus Diſſertatione* perſpicitur. Praeterea ipſiſſima extant et egregia ſummorum in arte medica virorum ſuper hac re praecepta, ex quibus inſtar omnium ſint verba vnius LVDWIGII, qui vbi de Diagnoſi M. N. verba facit „Medici (inquit) practici eſt, ad cauſſas primas continuo regredi, examen aegrorum attentum et aliquoties repetitum ſuſcipere, denudato corpore ad normam ſani hominis, ope cognitionis anatomicae exigere, motus membrorum ad varias directiones examinare, et muſculos diſpoſitione hac morboſa in actione ſua impeditos vel infirmatos attendere.„

§. 2.

Inter oſſa, quae vitiantur Gibboſitate, primum, vt et Hippocrates *c)* iam adnotauit notanda venit columna vertebrarum, ſpina aliis, graecis ῥαχις dicta, cuius partem primam conſtituunt ſeptem vertebrae, in prima ſeu colli regione col- loca-

a) Com. Celſus de Medicina Lib. VIII. edit. 1766. 8.

b) Epiſt. ad Theſſal. fil. Secr. VIII. p. 3288. edit. Foeſii.

c) Libro de Articulis.

locatae, ſecundam auctior, quinque ſequentes, quae dorſales ſeu dorſi vertebrae nuncupantur, imam denique regionem ſeu lumbarem tenent, quinque reliquae. Praeter hanc vertebrarum compagem huc referendus thorax et peluis.

§. 3.

In omni vertebrarum oſſe ſpectanda ſunt corpus, proceſſus eorum obliqui duo, duo item transuerſi et vnus ſpinoſus, a quo tota vertebrarum columna nacta nomen ſpinae eſt. Horum, e numero colli vertebrae licet reliquis ſint minores, ea tamen gaudent indole, vt corpora habeant reliquis ſolidiora et propter hoc fortaſſe ſecundum animaduerſiones Medicorum rarius ſolent affici, ac vertebrae lumbares, aut dorſales, quae maxime hoc morbo vexantur. Veras has proprio etiam nomine ſic dictas vertebras excipit ſacrum et coccygis os, quae ſpuriae anatomicis appellantur, quorum illud aeque ac vertebrarum ſeries plura in ſe continent, quae ad corporis integritatem ſeruandam a natura iisdem ſunt data. Structura autem hominis praeſertim oſſea, a naturali ſtatu declinante, permultum quoque ad vitioſam hanc corformationem et ad manantes aegritudines diuerſas conferunt ſpondyli columnae vertebralis, cum corpori oſſium iſtorum variae ſunt partes ab Anatomicis diſtingui ſolitae, quae haud parum conferunt ad morbum ipſum et effecta ipſius mirum in modum augenda. Sunt haec ipſa harum vertebrarum corpora ſpongioſa, tenui lamella oſſea cincta, poroſa ac vaſis nutrientibus medullamque ſecernentibus patula. Proceſſus dein varias ob cauſſas ad malum augendum ſunt diſpo-

ſpoſiti v. g. cauitatibus ſuis, vnaque harum maxima ex qua ope omnium ſpondylorum ab oſſis occipitis magno foramine vsque ad extremitatem ſacri, canalis ille conflatur, amplior quidem in vertebris colli, quam in dorſi, maximae vero capacitatis in lumbis, in oſſe vero ſacro demum decreſcentis, ad medullae ſpinalis ad caudam vsque equinam receptaculum, amplum ſatis et tamen ſtabile conſtituendum, cui in parte laterali foramina alia ſunt inſculpta, patentia neruis a ſpinali medulla per totum corpus diſſeminandis nec non arteriis et venis; alia pro tranſitu vaſorum vertebralium, proceſſibus vertebrarum colli inſculpta ſunt, quae orbiculata vocantur ab Anatomicis.

§. 4.

In vertebrarum degenerum compage h. e. in baſi totius columnae ſpinalis, oſſe nimirum ſacro, animaduertenda omnino eſt natura valde ſpongioſa, cum tamen exterius ſolida lamella cingatur, per quam eius compagem paria quatuor foraminum nonnunquam quinque deſtinata ſunt neruis ſacris emittendis.

§. 5.

Oſſium paullo ante commemoratorum parte quadam, praeterea oſſe ſterni et duodecim coſtarum, ab vtroque ſpinae latere poſitarum connexione formatur crater ille, ſiue potius, ſi figuram ſpectes conus truncatus, vnam ex maioribus corporis cauitatibus conſtituens, partim oſſeam, partim cartilagineam, in quo ad ſtabilitatem, mobilitas accedit ei maxime neceſſaria. Quaenam et quanta oſſeus hicce thorax et cum eodem

dem partes molliores eum ambientes ex trunci diſtorſione, aut in gibberoſam prominentiam praecipitatione contrahat vitia, ea docebit Pars. III. interim tamen his ſubiungenda quaedam videntur de clauiculis et ſcapulis in gibboſa quacunque thoracis deturpatione praecipue vero ſcoliotica oſſa hacce quadriiuga cum maxime ſint obnoxia mutationi, illa quidem vel ob robuſtam ipſorum ſubſtantiam, facilius deformentur, quod adeo ſint gracilia et extremis quoque partibus ſuis ſpongioſa; haec vero labis gibberoſae licet oſſa ſint leuia et tenuia facile participes fieri poſſe mihi non videntur, ſed quoad ſitum ſuum maxime varietati expoſita, quod valde ſint mobilia et vnice ferme a muſculorum, quibus interpoſita ſunt, praecipue vero dorſalium motu dependent.

§. 6.

Haud minore autem, quam quae huc vsque recenſita ſunt, attentione digna ſunt oſſa, vltimam trunci partem conſtituentia. Nam et haec ipſa ſpinae dorſali, primariae illi C. H. parti nexa, gibberoſitati ſunt obnoxia, ita, vt ſi vitium inferiorem columnae vertebralis inuaſerit regionem, id nec pelui coxis conflatae parcere, eamque incuruationibus variis, maxime vero ſcolioticae exponere ſoleat, vnde et viſcera in eodem contenta, varie laeduntur, diuerſa hominum, praeſertim mulierum corporibus damna exoriuntur, quibus exponendis in Parte III. locus dabitur.

§. 7.

Vicinitas illa et nexus, qui oſſa inter et ligamenta C. H. intercedit, commodam praebet anſam breuiori ligamentorum eorum recenſioni, a quorum nexu cum oſſium illa compage flexilitas illa, cum neceſſaria ſtabilitate oſſium, praecipue vero columnae vertebralis dependet, et quorum cognitio non ſolum ad diiudicandam facilitatem vel difficultatem motus oſſium e ſua ſede, ſed etiam ad certam prognoſin indicandam teſte MVSITANO *d)* perducit. Sunt haec ſecundum Cl. WEITBRECHT, accuratiſſimum ſyndesmologiae auctorem, duplicis generis, tam illa, quae vertebris omnibus communia ſunt, quam ea, quae ſingulis vertebris ſunt ſimilia.

§. 8.

E ligamentis vertebrarum communibus maxime notatu digna ſunt, Ligamentum corporibus vertebrarum commune anterius, ſiue faſcia longitudinalis anterior, aut Ligamentum anticum commune vertebrarum alias dictum, quod vertebris omnibus a proceſſu odontoideo ſecundae, ad os ſacrum vsque in interna eorum ſuperficie tegitur. Attentionem porro ſine dubio non exiguam meretur et robur faſciae huius, quod circa quartam, quintam et ſextam colli, et circa duodecimam dorſi ac primam lumborum vertebram, vbi quaſi diſparet, eſt tenuior, et hoc, quod in quouis ferme corpore alia fila accedunt, alia abolentur, nec non mira eius natura circa ſecundam lumborum verte-

d) Opp. omn. T. II. p. 417. ex edit. Venet. 1738. fol.

vertebram, vbi vices huius ligamenti tendines diaphragmatis ſuſtinent, qui ſimiliter expanſi in quarta vertebra paullatim euaneſcunt. Alterum ligamentum vertebrarum communium, eſt ligamentum poſticum commune, quod ſicut praecedens, vertebrarum faciem, ſed concauam aut poſteriorem obtegit, et ortu, quem habet a prima colli vertebra ab iſto eſt diuerſum; caeterum etiam iſtud terminatur in oſſe ſacro. Cohaeret id ipſum cum dura matre, tam in egreſſu eius e caluaria, quam in progreſſu eiusdem, verum laxiſſime tantum; ſed non in vniuerſo decurſu robuſtum eſt atque latum, quemadmodum quibusdam Anatomicorum contendere placuit, ſed verſus inferiora ſenſim extenuatur, ita, vt in regione lumbari vix vnam alteramue lineam latitudine exaequet.

§. 9.

Ligamenta vertebrarum communia excipere debent ea, quae ſimilia ab Anatomicis nuncupantur, quorum in numerum inter alia referendum intervertebrale, conflatum e lamellis exilibus, diuerſae latitudinis, et miro ordine inter ſe diſpoſitis, exterioribus craſſioribus et ſtrictioribus, internis tenuioribus et mollioribus. Inſeruiunt eadem nexu ſpondylorum firmiſſimo, ſalua tamen eorundem mobilitate: efficiunt enim elaſticitate ſua, vt diuerſae, quas ſpinae inferimus inflexiones et compreſſiones nobis non ſint moleſtae, nam immediatum corporum vertebrarum contactum, maximopere obeſſe poſſe ſanitati, ſtructura vertebrarum (§. 4.) expoſita docet, ita autem laminae hae cartilagineae corporibus vertebrarum interpoſitae ſub ſua quaſi tutela,

ab omni laeſione defendunt; ſi compreſſa fuerint, ſublata preſſione in amplitudinem priſtinam recedunt.

§. 10.

Columna vertebrarum in praeternaturalem quamcunque formam coacta, vix in Scolioſeos non minus, quam Lordoſeos, omnium minime Cyphoſeos flectetur curuaturam integris ligamentis ſimilibus proceſſuum ſpinoſorum: tres etenim ſunt hoc vno ſub nomine comprehenſae partes nexum ſpondylorum firmantes, quorum prima ſeries a colore ſubflauo, Ligamenta crurum ſubflaua vocitata, inſigni praedita elaſticitate, proceſſuum adſcendentium et deſcendentium radicibus infixa, nexum vertebrarum ex illa parte perquam ſtabilem reddunt, maximopere in infima ſpinae regione tanquam robuſtiora, nihilominus tamen egregie id praeſtant inter colli vertebras, etiamſi ibi multo debiliora, et inter primam et ſecundam colli vertebram rudimenta tantum horum ligamentorum conſpiciantur. Praeter ſubflaua adeſt quoque membrana, interſpinalis dicta, praecedentibus robore ſimilis, omneque ſpatium, inter radicem proceſſuum ſpinoſorum et eorundem apicem adimplens. Apicibus denique vertebrarum ab vno ad alterum, vt vnum quaſi ligamentum, natura ſeu craſſitie cartilagineum, per totam ſpinae longitudinem ligamenta illa, quibus apices committuntur, vltimum quoque eſt, quod ligamentorum ſubflauorum numero accenſetur. De firmitate tandem, quam vertebrarum compages ligamentis enumeratis praebere poterat natura prouida cauit, ne minima ex parte ſpinae flexilitas laederetur, neque aequilibrium eiusdem per-

perderetur, dum non ſolum proceſſibus ſpinoſis vt ante vidimus, ſed et reliquis proceſſibus bina praepoſuit ligamenta ſimilia alia, vt proceſſus transuerſos, alia vero, vt necterent proceſſus adſcendentes et deſcendentes.

§. 11.

Coſtas vertebrarum compagi nexas, ne articulationem ſuam, quae eſt inter ſpinam dorſi ac ſternum facile deſerant, vt vertebras ipſas inter ſe, easdem vinculis ligamentorum vinxit, et quidem a poſteriori parte cum eorundem corporibus, ligamentis capitellorum coſtarum, cum proceſſibus transuerſis vertebrarum dorſi, ligamentis transuerſariis externis, transuerſariis internis ſeu ceruicis coſtarum internis dictis; ligamentis denique ceruicis coſtarum externis, quae coſtas ad obliquos proceſſus adſtringunt.

Clauicularum nexui praepoſitum habemus ligamentum transuerſim clauicularum capitulis interpoſitum, interclauiculare nuncupatum, quae cum ſterno per plurimos faſciculos ligamentoſos, ab anteriori parte, cum cartilagine coſtae primae per ligamentum tenax, latum, rhomboideum, a poſteriori vero parte ligamentis robuſtiſſimis, ab humero in clauiculam excurrentibus vinciuntur.

§. 12.

Oſſibus denique innominatis conſeruandis, viſcerum his comprehenſorum munimentis firmandis ſolertiſſime natura proſpexit ligamentis omni ipſorum ambitu adaptatis. Sunt horum primo cartilagines, cum eae, quibus oſſa innominata cum ſacro

cohaerent, tum illae, quibus oſſa pubis inter ſe nectuntur. Praeter haec alia adhuc ſunt ligamenta ſtabilitatem augentia, quorum primum memorari debet ligamentum poſticum longum oſſis ilii, quod, vt ex nomine ipſo patet, ilium oſſa ad ſacrum adſtringunt; adiutum hoc in nexu a ligamento huius nominispoſtico breui, et tertio ex poſticis his ligamentis, laterali poſtico. Quod anterioris nomine venit, eſt ligamentum, a ſpinae oſſis ilii ſummo apice exortum, peluis anticum ſuperius dictum, cui breue ſubiacet ab eodem ilii oſſe, ſed infima eius regione continuatum. Praeter haec ad connexionem coxarum cum ſacro, ligamentula acceſſoria, vaga, dorſo oſſis ſacri ſunt inſtrata; et vlteriori adhuc oſſis ilii cum ſacro copulae inſeruiunt villi ligamentoſi. Os iſchium iam vice verſa cum ſacro propriis interne vincitur faſciculis ligamentoſis, quo ſpectant ligamentum ſacro-iſchiaticum maius et minus. Vltimo tandem appendici ipſius ſpinae coccygis quippe os cum ſacro, ligamentis longitudinalibus, dorſum coccygis inſidentibus, et nonnunquam lateralibus in anteriore eius parte obſita nexus oſſium horum firmatur.

§. 13.

Sciunt, quicunque muſculorum motrices vires norunt, quam multa illae aut prouocatae, aut materia quadam aut ſtimulo, ſiue mechanico ſiue morboſo poſſint mutare; quantopere eludant ſaepe operam Chirurgi in repoſitione articulorum luxatorum, ſuccinctam muſculorum enumerationem vix ſpernet eorum, qui potiſſimum ſiue primario gibbum producant, aut huic

ex

ex aliarum partium vitio exorto incrementum addere ſoleant. Iam neceſſe omnino erit cognoſcere diſpoſitionem et robur muſculorum in gibberibus, quam neceſſariam MVSITANVS *e*) pronuntiauit in luxationibus, vt poſſimus reddere rationem varietatis figurae columnae vertebralis, et praecipue, vt facilius partes a praeternaturali figura in naturalem ſitum reducere poſſimus.

§. 14.

Faciunt eo capitis, colli, praeſertim vero dorſi et lumborum muſculi, abdominalibus tamen non excluſis. Ex capitis muſculis iis ſcilicet, qui antrorſum flectendo capiti inſeruiunt huc pertinent inprimis rectus anticus maior, aliis longus, anticus minor et rectus lateralis, quorum quiuis a vertebrae cuiusdam colli proceſſu transuerſo et huius quidem baſi, parte anteriori aut ſuperiori oritur. Maiorem enumeratis attentionem poſtulare quatuor alios caput quidem peraeque vt priores, ſed retrorſum mouentes, ſplenium quippe, biuentrem ceruicis, complexum maiorem, ab aliis Anatomicis trachelomaſtoideum nuncupatum erit in aprico, ſi perpenderimus, omnes hos, ei ſpinae dorſi loco eſſe propiores, qui deformitate gibberis vt plurimum deturpari ſolet; cum duo priores originem ſuam a vertebrarum dorſi proceſſibus ſpinoſis, primus ex his inſuper ab iisdem proceſſibus inferiorum colli vertebrarum repetant, reliqui vero duo vertebrarum dorſi aliquot ſuperiorum et ſex inferiorum colli ambiant proceſſus transuerſos.

§. 15.

e) L. c. p. 417.

§. 15.

Muſculi collo mouendo inſeruientes, notatu quidem inprimis digni obſtipum ſi fuerit caput, nemo tamen negauerit longum colli et transuerſalem ceruicis, quem colli potius magnum Anatomicorum alii appellare malunt, nonnihil ad ſpinae dorſalis figuram deſtruendam valere. Maxime autem absque dubio, inprimis eo in caſu, vbi muſculorum conſtitutioni deprauatae ſpinae curuatura adſcribi debet, in iisdem latebit vitium, qui dorſi et lumborum motui a natura ſunt deſtinati. Primus ex iſtorum numero in rachide ſiue mouenda, ſiue hoc vel alio modo deformem reddendo tenere multifidum ſpinae, ad oculum nos docet ſitus fibrarum ab eminentiis dorſi oſſis ſacri, tendinibus ſuis egrediendo, aliis ſpinae dorſi vertebris omnibus, primam colli ſi exceperis adhaerentium in proceſſibus ſpinalibus, in obliquis praeterea vertebrarum lumborum proceſſibus ſuperioribus, transuerſis vertebrarum dorſi et obliquis deſcendentibus ſex inferiorum colli. Eandem in mouendo dorſo et lumbis vim exſerentes longiſſimum dorſi et ſacrolumbarem in deformanda dorſali ſpina ſeruaturos harmoniam, ſitus quem obſeruant, ſpondet. Longiſſimus enim dorſi totam dorſi longitudinem aſcendendo, comite ſacrolumbari angulis et proceſſibus transuerſis vertebrarum ſeptem ſuperiorum dorſi innititur, poſtquam fibris carneis a parte poſteriori, interna et ſuperiori oſſis ilei, a proceſſibus ſpinoſis ſuperioribus oſſis ſacri et tendine a ſpinis quatuor inferiorum lumborum vertebrarum, praeterea proceſſibus transuerſis et obliquis vertebrarum earundem adfigitur. Vnitus iſti ad coſtam vsque vltimam ſuperius autem ceruicali deſcendenti, ſacro-

crolumbaris, eandem repetit originem, eo tantum diſcrimine, quod hic a parte ſuperiori externaque oſſis ilei et ſacri, hinc proceſſui transuerſo vertebrae infimae colli, et fibris plurimis carneis proceſſibus transuerſis omnibus vertebrarum lumborum inſeritur. Tres muſculi alii, pyramidi ſpinali proxime adhaerentes proprioque aut ſpeciali vt Anatomici dicunt motui aptati, cum ſuſtinendo, erigendo, retrorſum et ad latus flectendo dorſi ſpinam moueant, ſpinoſus dorſi nempe magnus, quorum duo, dorſi interſpinalis ac intertransuerſarii praeter ea vertebras deorſum ac ad inuicem magis ducant, certe idoneos eos putarim ad figuram omnimode deteriorandam.

Morboſa tandem in lumbari regione conſtitutio rarius quidem ſecundum obſeruationes Medicorum corripere ſolet mortales, quandoque tamen Cyphoſin et Lordoſin et Scolioſin ſedem ſuam in infima hac rachidis parte figere rei medicae nobis referunt ſcriptores, in ſubiectis talibus, quibus muſculorum vel paralyſis, vel debilitas vel ſpaſtica denique conſtrictio inerat, quem effectum certe, ſi ex Phyſiologiae principiis diiudicare velimus, primario motui vertebrarum lumborum muſculis tribuendus eſſe videtur. Inſeruiunt enim lumbis ad latus flectendis; in oppoſitum flexos retinendis et erigendis Quadratus lumborum et intertransuerſarii lumborum; Pſoas autem paruus, praeterea ſimul ad latus, et lumborum interſpinales lumbos antrorſum et retrorſum flectunt, nec non proceſſus ſpinoſos arctius coniungunt.

§. 16.

Iam ad muſculos thoracem cingentes me conuerto, quorum affectioni ex gibboſitate quapiam orta aut morbo deprauato, magna haud dubie ex parte tribuenda erit in gibberoſis coarctata illa pectoris cavitas coniunctaque cum hac aſthmatica ſpirandi difficultas, qua vtplurimum miſerrime anguntur gibbo deturpati. Thoracicorum autem muſculorum aliqui ab ipſis partim quibusdam dorſi oriuntur, vt levatores coſtarum longiores, leuatores huius nominis breuiores et ſerratus poſticus ſuperior, a lumborum praeterea vertebrarum duarum ſupremarum proceſſibus ſpinoſis ſerratus poſticus inferior, quoad vim motricem autem vnam eandemque demonſtrant virtutem: agunt enim omnes elevando coſtas, deorſum et retrorſum ducendo, diaphragma autem, praeterquam, quod ab interna et ſuperiori parte cartilaginis Xiphoidis et a cartilaginibus coſtarum ſpuriarum et ſextae ſeptimaeque verae ortum trahit, a lumborum vertebris proficiſcitur. Quantum autem vnus hicce mercatur conſiderationem docet ipſius natura et indoles, quae tot partibus traiicitur et perforatur. Tranſit enim illum Aorta, ductus thoracicus et nonnunquam truncus quoque venae azygos, oeſophagus et quod bene notandum nerui intercoſtales et octauum tandem par neruorum, ne de pluribus minoribus dicam neruis ac vaſculis haematophoris per foraminula minora perrumpentibus.

§. 17.

Inprimis quoque Medico M. N. curaturo attendendum ad vaſa haematophora in gibberoſis mille incommodis expoſita.

Pri-

Primum hic obtinet locum Aortae truncus, inferiora petens; deſcendens Aortae truncus Anatomicis dictus, aſcendentis enim, ſi mammariam internam, pericardiacam, vertebrales et ſpinalem anteriorem ac poſteriorem exceperis, vix aliqua illorum notabilem ex gibbere patietur affectionem. Prior vero illa, a quarta circiter thoracis vertebra ex ſiniſtro vertebrarum latere ad vltimam vſque lumborum decurrens iuxta ſpinam dorſalem, quacunque demum ratione rachis afficiatur, in eandem quoque rapietur deformitatem, ad ipſos ex eadem emanantes vſque ramos pertingentem, cum hos, qui cauitatem thoracis, tum vero illos, qui abdominis et peluis petunt regionem. Pulmonum autem vaſa ſanguinem aduehentia, quantum mutentur praeſertim in corporibus thorace gibberoſo vexatis, quanta et quam varia inde viſceribus, quibus ſanguinem ſubminiſtrant, mala creentur, e circulationis turbatione pluribusque aliis pectoris affectionibus coniici poteſt.

Vaſorum autem, ſanguinem a corporis partibus ad cor reducentium, eadem, caeteris paribus, in gibberoſitate laborantibus vtplurimum eſſe ſolet fortuna. Languentibus arteriis e. g. pulmonalibus, compreſſis adeo, aut alio modo affectis, venae huius nominis et ipſae languorem contrahunt. Vena caua ſuperior, gibboſitate, thoracis praeſertim regionem obſidente, ſanguinis ex capite, collo, thorace et extremitatibus ſuperioribus reducendo deſtinata, eum ſaepe non iam tanta copia, aut tam cito reuehet, quam ſanitas hominis requirit, quantum vero hoc incolumitati officiat, monere opus non eſt.

Venae cauae inferioris truncus et rami plurimi eam conſtituentes, ſicut ſuperior, cum ſat amplam habeat regionem ex quo ſanguinem reducat, non minoribus, quam altera, immo, ſi in inferiori corporis parte figura humana vitiata fuerit, maioribus adhuc obnoxia erit vitiis.

§. 18.

Nec vaſorum lymphaticorum ſyſtemati gibberum parcere ſolet peſtis. Surculi hi minimi per totam corporis ſuperficiem, cava corporis maiora, et viſcera diſtributi atque in ductum denique thoracicum terminati, eo, quod lympham ex ſuperficie corporis et cavis maioribus ſuccumque nutritium ex cavo inteſtinorum reſorptum vehant in ductum thoracicum deferendum, ac ſexcenta mala vnice ex horum obſtructionibus ſint repetenda, quam multum eorum interſit, extra omne dubium eſt poſitum.

§. 19.

Iam de inſtrumentis organorum ſenſus et motus h. e. nervis, vt hoc quoque attingam, id monuiſſe ſufficiat: nobiliſſimas has vniuerſi corporis particulas praeter vertebralem columnam, potiſſimum in gibberoſis male haberi; praecipue vero illas, quae e medulla ſpinali progerminant, provt ſpinam dorſalem, in hanc vel illam partem gibberis impetus diſtorſerit, ad vnam omnes a vi illa diſtorquente corripi.

§. 20.

E viſcerum C. H. denique penu omnia illa plus vel minus in hoc morbo affici ſolent. Si thoracis cavitas defigurata fuerit,

pul-

pulmones et cor ipſum vario modo torquentur, e ſede ſua dimoventur functionesque eorum impediuntur. Atque idem ſolet eſſe fatum eorum, quae abdominis replent cavitatem, quippe quae aut deprimuntur, aut diſtorquentur in latera, aut alio quopiam modo vexantur. Peluis denique viſcera, praecipue in ſexu ſequiori plurimis ſubiecta ſunt mutationibus, ex quibus vitia nonnunquam oriuntur, menſium fluxus irregularis, ſuppreſſus, et partus difficilis aut plane infauſtus.

§. 21.

His, vt ſuperius iam monitum eſt, non deſcriptionem partium C. H. quae in gibberoſis affici ſoleant, ſed tantum brevem enumerationem tradere voluimus, quo Medicum ad partes ipſas attentum redderemus, vt facilius et feliciori cum ſucceſſu in diagnoſi, prognoſi atque reſtitutione aegroti poſſet verſari. Perfectam vel accuratam qui cupit illarum partium cognitionem, in oſteologicis quidem cl. BOEHMERVM; WEITBRECHTIVM in Syndeſmologia: in vtriſque maximo cum fructu cl. a ROY, qui M. N. ratione habita oſſa ac ligamenta accurate ac concinne deſcripſit, tum in muſculorum doctrina Cel. ALBINVM; Cl. MONROO, HAASIVM aut MARTINIVM in Neurologia, in Angiologia MEYERVM, in viſceribus autem et reliquis partibus rite pernoſcendis Ill. HALLERI immortalia opera adeat, neceſſe eſt.

THESES.

I.

Pleura ſentiendi facultate non caret.

II.

Rubedinis in ſanguine veram cauſſam eſſe inflammabile quoddam ex aëre et alimentis accedens principium, cum metallica materie coniunctum, per vires corporis vitales ſubactum, probabilior caeteris videtur ſententia.

III.

Faſciarum et thoracum recte aptatarum et infantibus applicatarum vſum innoxium, immo neceſſarium eſſe, veriſimillimum videtur.

IV.

Ex pelui grauidae, prognoſis certa de partu felici aut infelici fieri non poteſt.

V.

Empirici in morbis externis et quibusdam internis, nonnunquam anteponendi Medicis litteratis videntur.

VI.

VI.

Lordoſis etiam in ſuperiore thoracis parte fieri omnino poteſt.

VII.

Ni perſonae ſexus ſequioris, fluore albo laborantes, caſte vixerint, cura radicalis vix habebit locum.

VIII.

Operatio labii leporini melius forfice, quam ſcalpello Chirurgico (inciſorium dicto) perficitur.

IX.

Hymen, ſignum virginitatis haberi nequit.

X.

Vernicem caſeoſam eſſe ſedimentum a liquore Amnii demiſſum vix eſt probabile.

XI.

Variolae verae vnā tantum vice homines inuadere ſolent.

XII.

Nihil fallacius eſt in Medicina, quam ex ſola vrinae inſpectione iudicare.

XIII.

XIII.

Haemorrhoides ſanitati plus detrimenti, quam emolumenti adferunt.

XIV.

Chemiae in experimentis ad phyſiologiae doctrinas plures illuſtrandas inſtitutis adeo fidere non poſſumus.

XV.

Debilitas topica inteſtini recti non unica eſt cauſſa fluxus haemorrhoidalis.

XVI.

Partus naturalis magis turbatur committendo, quam omittendo.